DE

IAMBICO APUD TERENTIUM SEPTENARIO

SCRIPSIT

CAROLUS MEISSNER.

BERNBURGI

MDCCCLXXXIIII.

Terenti memoriam librorum manu scriptorum, si cum aliis scriptoribus comparaveris, veriorem sincerioremque esse negari non potest. Atque inter omnes codices unus optimus et antiquissimus Bembinus excellit, qui, quod quarti vel quinti saeculi est, ceteros libros manu scriptos sinceritate et integritate scripturae longe superat. Nam cum oratio in deterioribus libris, qui posterioris aetatis sunt, multis glossematis depravata et corrupta sit, Bembini codicis scriptura his mendis vitiisque liberior est. Accedit quod antiquo illo libro multa vetusta verba et verborum formae nobis servata sunt (cf. Ritschelii opusc. III, p. 297).

Verum cavendum est, ne huius antiquissimi codicis auctoritati nimium tribuamus. Nam huic quoque cum deterioribus libris manu scriptis illud commune est, quod aeque versibus corruptis vel interpolatis [1]) abundat. Et profecto sexcentorum fere annorum tempus inter Terenti et Bembini codicis aetatem interiectum satis longum erat, ut actoribus, grammaticis, interpretibus, librariis facultas aut versus recte proditos corrigendi aut novos ascribendi daretur, praesertim cum vix ullius poëtae fabulae saepius in scaena agerentur aut in scholis lectitarentur. Jure igitur Ritschelius (opusc. III, p. 296): 'quid est tandem, cur inde a quarto saeculo corrumpi et interpolari Terentianas fabulas potuisse, non potuisse ante quartum saeculum opinemur'? Idemque vir ingeniosissimus proll. p. CXX n.: 'Nam in Terentio

---

[1]) Cf. Ritschelii opusc. III, p. 797: insiticiorum in Terentianis fabulis versiculorum plura exstant quam plerique suspicantur exempla.

quidem tam aperta plurimis locis est, quam in Plauto rara fuit, correctricis manus opera in refingendis resarciendisque versibus consumpta, eaque ex antiquiore aetate repetenda quam qua ipse Bembinus liber scriptus est: longius autem a Terentiana integritate Bembinus quam a Plautina Ambrosianus abest.' Sed non est huius loci hanc rem pluribus persequi. Fusius de eadem re disputavi in appendice libelli mei: Die Cantica des Terenz und ihre Eurythmie p. 583 sq.

Haec praedicenda esse putavi, cum nunc de iambico apud Terentium septenario disputaturus sum. Nam nusquam alibi in Terentianis fabulis tam apparet atque exstat, quantopere poëtae scriptura a correctoris rei metricae imperitis corrupta sit quam in eis partibus, quae in hoc metro scriptae sunt. Atque etiam illud ex his quae infra disputabimus elucebit Terentium a librariis per inscitiam multo magis corruptum et depravatum esse quam Plautum, ut verum sit quod iam Ritschelius proll. p. CXVIII suspicatus est: 'non quaeram nunc utrum asperiores sibi quam Plautus numeros Terentius indulserit, an huius comoediae, ut studiosius etiam quam Plautinae et lectitatae et a grammaticis tractatae, maioris integritatis speciem mentiantur tantum, reapse adeo graviorem interpolationem passae sint: quod ut credam non leves me caussae movent.' Confer etiam ea, quae Ritschelius proll. p. CXX dixit: 'Omnino autem vix ullam scaenam esse fabularum Terentianarum puto, in qua non aliquid turbatum sit gravius, criticae artis medicinam etiam post Bentlei curas exspectans.'

Atque ut ad rem propositam veniamus, in hac disputatione tres quaestiones magnas et graves, quae ad universam huius metri rationem et naturam intellegendam pertinent, tractabo, unam de caesuris, alteram de hiatu et syllaba ancipiti, tertiam de synaloepha in caesura.

I.

DE CAESURIS.

Ac primum monendum est Latinos iambicos septenarios asynartetos esse voluisse, ita ut ex duabus paene aequalibus partibus nulla continuatione numeri constent et ut hiatui et syllabae ancipiti, quae versuum asynartetorum propria sunt, locus concedatur. Caesuram habent, ut par est, post quartum pedem, qui purus iambus, id quod Bentleius, vir sagacissimus, primus observavit (vide ad Hec. II 2, 10), vel pyrrhichius est. Praeter legitimam illam caesuram vel diaeresin, secundariam caesuram post anacrusin quinti pedis omnes viri doctissimi inde ab Reisigio, qui eius inventor est, agnoscunt.

At vel illud, quod haec caesura trochaica quae dicitur rarissime apud Plautum et Terentium invenitur, dubitationem afferre debebat rectane et vera esset. Nam secundum Kraussium (Mus. Rhen. t. VIII, p. 542) inter mille trecentos qui in fabulis Plautinis sunt iambicos septenarios, vix viginti versus cum hac trochaica caesura, in Asinaria sola, in qua trecenti viginti duo septenarii sunt, vix duodecim reperiuntur, qui usitata illa caesura carent (V. Christ. Metr.[2] p. 342). Contra inter trecentos nonaginta fere septenarios Terentianos, quod hic poëta a correctoribus magis quam Plautus corruptus est, undeviginti versus cum illa Reisigiana caesura sunt.

Nec vero solum ex raritate, sed etiam ex versus ratione ipsa concludi potest caesuram illam falsam fictamque esse. Nam si non est dubitandum, quin Latini septenarios iambicos asynartetos esse voluerint, ut e duobus seiunctis membris sine ulla numerorum continuitate constarent et ut hiatus et syllaba anceps post priorem dipodiam admitterentur, manifestum est secundariae illi caesurae locum non esse: nisi forte putas Terentium, quem Horatius, summus existimator, 'vincere arte' dicit, trecentos septuaginta fere septenarios asynartetos, in quibus numerus non continuatur, et undeviginti synartetos, in quibus numerus continuatur, esse voluisse.

Atque ut similitudinem afferam, quis est qui in versu elegiaco pentametro, qui e duobus ordinibus dactylicis compositus est, praeter legitimam caesuram quae est post priorem ordinem, aliquam secundariam caesuram statui posse credat? Quamquam pentameter ne in asynartetis quidem numerandus est, ut licentiae illi, quae propria asynartetorum est, hiatui et syllabae ancipiti locus non concedatur. An quisquam putat a ratione pentametri, qui asynartetus non est, secundariam caesuram repudiari, a iambico septenario, qui asynartetus est, non repudiari?

Longe diversa est ratio iambicorum septenariorum Graecorum, qui, quamquam etiam apud eos caesura in fine quarti pedis est, tamen asynartetos septenarios esse noluerunt, ut non e duabus seiunctis partibus sine ulla continuatione numeri, sed e quattuor dipodiis constaret. Documento est illud, quod Graecorum poëtae solutionem in quarto pede, quin etiam in hac sede anapaesto locum concesserunt (Vide Christ. Metr.[2] p. 340). Quae cum ita sint, non est mirum, quod Graeci usitata illa caesura neglecta secundariam caesuram post anacrusin quinti pedis admiserunt.

His rebus expositis undeviginti illos versus, in quibus caesura trochaica quae dicitur invenitur, nunc enumeremus atque diligentius examinemus.

Phorm. 759 Quocúm volebam et út volebam cónlocatam gnátam.

Sic scripserunt Fleckeisenus, Umpfenbachius, Dziatzko. Bentleius item sine diaeresi:

Quicúm volebam atque út volebam fíliam locátam.

Locus in libris manu scriptis corruptus est. A praebet: conlocatam amari, codices recensionis Calliopianae: conlocatam filiam. 'Gnatam' est Faërni coniectura. At animadvertendum est Terentium nusquam alibi verbo composito collocandi ita usum esse, ut significaret nuptum dare, sed semper verbum simplex locandi usurpavisse, ut Phorm. 752: 'nuptum virginem locavi huic adulescenti', ib. 645 sq.: 'quid si filiam Suam unicam locaret?' Equidem scribendum propono:

Quicúm volebam fíliam locátam et ut volébam.

Phorm. 770 Ut sít qui vivat, dum áliud aliquid flágiti confíciat.

'Aliud aliquid' praebent A et Donatus in lemmate, 'aliquid aliud' B C E P, G 'aliud' omisit. Vel ex eo, quod libri mss. in hac formula inter se dissentiunt, facile intellegitur vitium orationis

in verbis 'aliud aliquid' inesse. Quod Donatus formulam 'alius aliquis' vetustam esse putat, refellitur his locis Ciceronianis: de or. II 36 cum alia aliqua arte esse commune; divin. in Q. Caec. 22 non ut per te alium, sed ut per alium aliquem te ipsum ulciscantur; p. Sest. 125 Aliusne est aliquis improbis civibus peculiaris populus? — Similis est formula 'alius quis', quae tamen ita a pleniore illo 'alius aliquis' differt, ut illud sit nostrum: ein anderer, hoc sit nostrum: irgend ein anderer. Et illud 'aliud quid' sententiae huius versus conveniens esse dico. Nam Demipho, si 'aliud aliquid flagiti' dixisset, de certo aliquo flagitio a Phormione concepto cogitasset, nunc autem senex parasitum quodlibet aliud scelus esse commissurum suspicatur. Ex quo apparet non 'aliud aliquid flagiti' veram scripturam esse, sed 'aliud quid flagiti', quod si receperimus, falsa illa caesura sublata erit. Ergo scribendum videtur:

Ut sít qui vivat, dúm aliud quid flágiti confíciat.

Phorm. 777 Cum ista út loquatur. tú, Geta, abi prae: núntia hanc ventúram.

Sic auctore Palmerio omnes editores distinguunt. Codices exhibent: abi praenuntia (E pronuntia). Ac primum dicendum est verbum praenuntiandi apud comicos poëtas neque apud Plautum neque apud Terentium usquam reperiri, deinde formulam 'abi prae', vel 'i prae' semper ita in comoediis usurpari solere, ut is qui iubet aliquem abire, aut continuo aut brevi ipse secuturus sit. At hoc loco Demipho et Geta diversi abeunt, ille in Chremetis domum Nausistratam accessitum, cum servus in Demiphonis domum mittatur, ut Phanii animum praeparet. Illud 'prae' mihi videtur a correctoribus hiatus vitandi causa additum esse. Mea quidem sententia scribendum est:

Cúm ista út loquatur. tú, Geta, | abi, núntia hanc ventúram.

Hec. 250 Nunc vídeo in illarúm potestate ésse te. || Heia véro.

Iam Bentleius recte transposuit:

Nunc vídeo in illarum ésse te potéstate. || Heia véro.

Minus probabile est, quod idem vir sagacissimus

Hec. 252 Haud íta decet, si pérpetuam vis ésse adfinitátem hanc

'perpetem hanc' pro 'perpetuam' coniectura assecutus est. At facili hac transpositione legitimam caesuram restituas:

Haud íta decet, si hanc ésse vis perpétuam adfinitátem.

Commemorandum est in libris Calliopianis 'hanc' post 'perpetuam' collocatum esse.

Hec. 818 Gnatum eí restituo, quí paene harum ipsíusque opera périit.

Bentleius transposuit: paene qui. Sed cum ars metrica vocalem in diaeresi elidi vetet, de qua re infra pluribus disputabimus, scribendum videtur:

Gnatum eí restituo, paéne qui opera hárum ipsíusque périit.

Veri simillimum est grammaticos, ut hiatum tollerent, verba transposuisse. De prosodia 'ipsíus' v. Ritschel. opusc. III, p. 693. Adhuc exemplum correptae vocalis i in 'ipsíus' forte deerat.

Hec. 254 Aut éa refellendo aút purgando vobis corrigémus.

Bentleius, quo erat acumine, recte vidit 'tibi' pro 'vobis' esse restituendum: 'Tibi', inquit, 'ut patrifamilias, qui ceteros regas: sic superiore versu Celare te iras et Te iudice ipso.' Librarius aliquis eo quod est in antecedente versu: 'si quid est peccatum a n o b i s, profer', adductus est, ut 'tibi' in 'vobis' mutaret. At illud Bentleio non assentior, quod sic collocavit: 'Aut ea refellendo tibi aut purgando corrigemus.' Nam 'tibi' est cum 'purgando' coniungendum, quoniam 'purgari alicui' Latini dicunt. Praeterea 'tibi' in quarta sede ante ipsam diaeresin elidi per metricas leges non licet. Equidem malim scribi:

Aut éa refellendo aút tibi purgándo corrigémus.

Eun. 288 Facéte dictum: míra vero míliti quae pláceant
pro: Facéte dictum: míliti quae pláceant mira véro.

Hac verborum collocatione non solum legitima caesura restituitur, sed etiam 'militi', in qua voce omnis vis orationis est, in primo enuntiati loco ponitur. Scilicet grammatici, ut saepius, insolentiam collocationis a poëta de industria quaesitae, quod eam non intellegebant, sustulerunt.

Ad. 708 Si fráter aut sodális esset, quí magis morem géreret?

Cum fieri non possit, ut transponendis verbis versus sanetur, in ipsis verbis vitium quaerendum est. Videamus qua ratione sententiae inter se excipiant. Aeschinus, quod ei a patre modo permissum est, ut Pamphilam in matrimonium duceret, gaudio exsultans patris optimi benignitatem liberalitatemque his verbis

praedicat: Quid hoc ést negoti? hoc est patrem [esse] aut hóc est filium esse? (V. 707). Tum sequuntur haec: Si frater aut sodalis esset, ... quae nulla alia ratione intellegi possunt, nisi hac: Si pater meus esset frater aut sodalis esset, non magis mihi obsequeretur. At haec sententia prava, ne dicam absurda est. Nam si fingimus Micionem Aeschini fratrem aut sodalem esse, non patrem, certum est eum in matrimonio adiuvando nihil efficere potuisse, cum penes patrem solum sit, utrum filio suo potestatem uxorem ducendi faciat necne. Fieri autem non potest, ut talia poëta dicere voluerit, immo potius Terentius Aeschinum haec dicentem facit: aliquis frater aut sodalis in aliqua (alia) re non magis obsequeretur. Sententia igitur generalis est, ut ad rem transactam, ad matrimonium Aeschini, non referatur. Quod si haec, quae modo disputavi, recte se habent, condicione irreali quae dicitur sublata scribendum videtur: si frater aut sodalis est, quod pro: 'aliquis frater aut sodalis' positum est. Item nostrates dicunt: wenn es ein Bruder oder Freund ist, so könnte er nicht mehr zu Willen sein, pro: ein Bruder oder Freund könnte etc. Hac emendatione, quam veram esse mihi persuasi, prior versus pars cum legitima diaeresi restituta est. Sed cum nunc una syllaba ante 'qui' desideretur, conicio a poëta '**ecqui**' scriptum esse. Nam notum est in codicibus, etiam in Bembino, semper fere pro 'ecquis, ecquid, ecquod, ecqua' cet. falso 'et quis, et quid' cet. scribi solere (cf. Eun. 519, 521, 522, 523, 530, Andr. 25, Phorm. 474), ut intellegatur ex 'estetqui' facili mutatione illud pravum 'esset qui' nasci potuisse. Scribendum est igitur:

Si fráter aut sodális **est, ecquí** magis morem géreret?

Cf. Plaut. Aulul. 16 Coepi observare, ecquí maiorem filius Mihi honorem haberet. 'Ecqui' est h. l. vera Gulielmi emendatio, quam merito G. Goetzius recepit. Notandum est etiam hoc loco 'et qui' in plurimis codicibus (B D E) et in libris Nonianis falso scriptum inveniri.

Phorm. 827 sq. Séd ubi nam Getam ínvenìre·póssim,
Ut rogem, quod tempus conveniundi patris me capere iubeat.

Omnes recentiores editores praeter Umpfenbachium hunc versum auctore Fleckeiseno recte uncis incluserunt, tum propter numeros vitiosos, tum propter sententiam. Nam in sequentibus fabulae scaenis Antipho Getam omnino non rogat, quando opportune patrem convenire possit. V. Hoelzerum de interpolationibus

Terentianis p. 24. Bentleius frustra operam dat, ut hunc versum corrigat.

Eodem modo ab interpolatore hoc enuntiatum finale idque duplex et affirmativum et negativum adiectum est:

Phorm. 794: Ut póssis cum illa, né te adulescens múlier defetíget.

Nausistratam, Chremetis uxorem, Demipho, Chremetis frater, adducit, quae cum Phanio colloquatur eique persuadeat, ut Phormioni nubat. In itinere sermo in effusiones Chremetis incidit, ut Nausistrata ira magis magisque incendatur. Eius animum commotum Demipho eo placare studet, quod ei assentitur (Scilicet V. 792, Certo scio V. 793). Postremo petit ab ea, ut ipsa sibi parcat (Parce sodes V. 793), scilicet simulans se eam hortari, ne mulier nimia animi commotione sibi noceat, re vera ne ipse plura ex ea audiat, praesertim cum non ignoret, ad quod frater reditus ex bonis contulerit. Haec omnia inter se tam apte cohaerent, ut non intellegatur, qua re aliquis librarius adductus sit, ut post 'Parce sodes' hunc versum: 'Ut possis — defetiget' adderet, quo nihil ineptius fingi potest. An vero quisquam serio putat futurum esse, ut Nausistrata, si virum accusare pergeret, propter defetigationem cum Phanio colloqui non posset? Accedit quod in oratione ipsa nonnulla offensionem habent. Ut non dicam in hoc versu uno duo finalia enuntiata se excipere, et infinitivum 'loqui' post 'cum illa' intellegendum esse: illud, quod adulescens cum substantivo generis feminini hoc loco coniungitur, tam insolens est (semel tantum Cic. divin. I 36 legitur: filiam adulescentem), ut vel ob eam rem versus in suspicionem vocandus sit. Frequentius autem in ipso fine scaenae ab interpolatoribus versus adiectos esse in disputatione mea: Die strophische Gliederung in den stichischen Partieen des Terentius (Fleckeiseni annal. 1884 p. 307) nuper docui.

Bis accusativus cum infinitivo ab interpolatore aliquo explanandi causa additus est:

Haut. 702 sq. Apérte ita ut res sése habet narráto. CL. Quid aïs? SY. Iúbeo:
Illám te amare et vélle uxorem, hanc ésse Clitiphónis.

Syrus Cliniae persuadere studet, ut patri aperte narret Bacchidem esse Clitiphonis, Antiphilam esse suam. 'Aperte', inquit, 'ita ut res esse habet, narrato.' Tum Clinia mirabundus:

'Quid ais?' Syrus autem, quasi dominus, non servus sit, nihil nisi hoc unum respondet: 'Iubeo.' Num haec Syri verba aliqua ex parte obscura sunt? praesertim cum hi versus praecesserint V. 696 sq.:

'Nam sí nunc a nobís abis et Bácchidem hic relínquis,
Senéx resciscet ílico esse amícam hanc Clitiphónis.'

Accedit quod accusativus cum infinitivo nihil habet ex quo pendeat, nisi forte illud 'narrato', quod praecedente versu cum 'ut' coniunctum erat, hoc quoque loco intellegis. Frustra Bentleius hunc versum supervacaneum, quem ex interpretis explicatione natum esse manifestum est, sic emendare studet: Illanc amare et velle te uxorem: esse hanc Clitiphonis.

Alter simillimus locus est

Hec. 831 sq. Rogat únde sit: narro ómnia haec: indést cognitio fácta,
Philúmenam compréssam esse ab eo et fílium inde hunc nátum.

Bacchis hoc loco narrat Myrrinam anulum filiae suae, quem Pamphilus huic detraxerat et meretrici dederat, in digito suo cognovisse. Quaerenti unde anulus esset, se 'omnia haec narrasse', quae Pamphilus sibi ipsi olim fassus esset: 'Homo se fatetur vi in via nescio quam compressisse Dicitque sese illi anulum, dum luctat, detraxisse' — (V. 828 sq.). Quid, quaeso, opus est Bacchidem post 'haec' et postquam in praecedente versu dixerit: 'narro omnia haec', hoc loco eandem rem iterum repetere? Praeterea dubium mihi est, cognitionisne vocabulum ita adhiberi posse, ut accusativus cum infinitivo sequatur. Quod sciam, omnibus locis 'cognitio' absolute ponitur, velut Eun. 921: Ibo intro, de cognitione ut certum sciam. Equidem hunc quoque versum (832) grammatici rei metricae imperiti esse iudico.

Post narrationem de cognitione per anulum factam Bacchis haec in sermone, quem secum habet, addit:

Hec. 833 sq. Haec tót propter me gaúdia illi cóntigisse laétor:
Etsi hóc meretrices aliae nólunt: néque enim est in rem nóstram
Ut quísquam amator núptiis laetétur. Verum ecástor
Numquam ánimum quaesti grátia ad malás adducam pártis.

Alter horum septenariorum legitima diaeresi caret. Quem versum quamquam Bentleius ad sanitatem metri reducere studet, cum scribit:

'Etsi hóc meretrices nón volunt aliaó: neque enim in rem est nóstram',

tamen dubito rectene ita posuerit, cum 'non volunt' pro 'nolunt' nusquam inveniatur. Equidem puto hunc versum nullo modo coniecturis sanari posse, quod non solum hunc sed etiam sequentem versum interpolatum esse mihi persuasum est. Ac primum hos versus ex repetitione sententiae, quae inest in V. 775 sq. 'quod si perficio, non paenitet me famae, Solam fecisse id quod aliae meretrices facere fugitant', ortos esse existimo. Deinde, ut ad singula transeamus, ad quam rem 'hoc' referendum est? quid 'hoc' est, quod aliae meretrices nolunt? an hoc putas eas nolle Bacchidem laetari, quod Pamphilo tot gaudia propter se contigerint? At id quidem perversum est. Tum quid sibi volunt illa: 'ut quisquam amator nuptiis laetetur'? Num Pamphilus etiam tum amator Bacchidis erat? aut de Pamphili nuptiis, quae iam pridem factae erant, tum agebatur? Certum est haec verba nihil aliud significare nisi: non est nobis utile amatores uxorem ducere. Bacchis autem ipsa antea dixit se laetari, quod uxorem ei reddidisset. Quae cum ita sint, cum Bacchis non de nuptiis gaudeat, sed de uxore reddita, sententia perversa est eisque quae praecedunt repugnat. Denique 'verum ecastor' ad nullam aliam rem nisi ad explendum septenarium et cum sequentibus coniungendum inventa videntur esse.

Luculentissimum vero signum interpolationis particulae 'neque enim' sunt, quae hoc loco nihil aliud valent nisi: 'denn nicht.' Numquam autem nec apud Plautum nec apud Terentium 'enim' habet vim explicativam, sed semper affirmativam, de qua re Langenus (Beiträge zur Kritik und Erklärung des Plautus p. 261 sq.) pluribus recte disputavit. Quamquam in hac re ab eo dissentio, quod Terentium hac particula nonnullis locis alio sensu ac Plautum esse usum putat. Equidem 'enim' apud Terentium omnibus locis affirmantis esse contendo, et quos locos Langenus ad sententiam suam demonstrandam protulit, eos aut aliter esse interpretandos aut pro insiticiis habendos esse existimo.

Iterum 'neque enim' legitur

Ad. 647 sq. Ut opínor has non nósse te, et certó scio:
Neque ením diu huc migrárunt. || Quid tum póstea?

Guyetus priorem versum pro insitivo habuit, equidem posteriorem, nam causa, cur pater opinetur vel potius certo sciat filium

mulieres non nosse, in versu praegresso: 'Habitant hic quaedam mulieres pauperculae' latet. Nam apertum est patrem dicere mulieres propter paupertatem Aeschino ignotas esse debere. Librarius, qui hoc non viderit, novam alteram causam addidit eamque ineptam. Quid enim? potuit pater putare filium omnes mulieres, quae diu Athenas migraverant, cognosse debere?

Quos alios versus Langenus attulit, eos aliter equidem interpretor: Andr. 808 sq.: 'Nam pol si id scissem, numquam hac tetulissem pedem: Semper enim dictast esse haec atque habitast soror'. Crito non eo, quod Glycerium semper soror dicta et habita est, sed, ut ipse dicit, quod Glycerium nondum parentes suos repperit, moleste fert, quod Athenas venit. Germanice igitur non est reddendum: denn immer ist sie Schwester genannt worden, sed: ist sie ja doch stets Schwester genannt worden. Eadem ratio est duorum aliorum versuum a Langeno allatorum, in quibus 'et enim' legitur: Haut. 547 sq. 'Facile equidem facere possum, si iubes, Et enim quo pacto id fieri soleat calleo'. Hoc quoque loco vertendum non est: denn ich verstehe, wie dies gemacht zu werden pflegt, sed: und fürwahr, ich verstehe, wie ..... Gravius igitur post 'iubes' distinguendum et 'et enim' duobus verbis scribendum est.

Alter locus est Andr. 441 sq.: 'Deinde desinet: Et enim ipsus eam rem secum reputavit via'. Qui versus item germanice interpretandus est: Und gewiss, er selber hat die Sache bei sich gehörig überlegt. His expositis dubitandum non est, quin particula 'enim' apud Terentium semper affirmative ponatur.

Satis multas mihi videor attulisse causas, cur illos duos versus Hec. 834 sq. ab aliena manu additos esse existimandum sit; quibus deletis omnia in sermone Bacchidis aptissime inter se conexa sunt.

Hec. 790 sq. LA. At haéc amicae erúnt, ubi quam ob rem advéneris rescíscent.
PH. At eásdem amicas fóre tibi promítto, rem ubi cognórint.

In Bembino codice posterior versus deest, quem Donatus agnoscit. Bentleius hos duos versus a Terentio profectos esse statuit. Non recte id quidem. Nam fieri non posse contendo, ut verba Phidippi idem, quod Laches, Bacchidi promittentis item a particula 'at' incipiant, ut Lachetis, qui ante Phidippum locutus est; nisi forte quis duos senes uno eodemque tempore locutos

esse putat. Quod si alter duorum versuum delendus est, quaeritur, uter eorum Terentio dignior videatur esse. Fleckeisenus et Umpfenbachius posteriorem versum uncis incluserunt (V. etiam Hoelzerum de interpolationibus Terentianis p. 4), quibus assentiri non possum. Primum in priore versu 'erunt' in tertio pede contra legem metricam in ultima syllaba acuitur, quae oxytonesis nisi caesura post quartum pedem posita non admittitur (Vide Podiaski Quomodo Terentius in Tetrametris iamb. et troch. verborum accentus cum numeris consociaverit p. 48). Deinde sententiam posteriore versu multo magis expressam esse quam priore versu in promptu est. Tum posterior versus cum his quae sequuntur: 'Nam illas errore et te simul suspicione exsolves' aptius cohaerere videtur. Neque enim mulieres tum, ubi resciscent, quam ob rem meretrix advenerit, sed tum, ubi rem ipsam veritatemque cognoverint, errore liberabuntur. Denique illud Bentleio adsentior aptius Phidippum, ut patremfamilias, Bacchidi fidem dare quam Lachetem. His iustis causis adducor, ut priorem versum, non posteriorem, eiciendum esse putem.

Eun. 1009 Numquám pol hominem stúltiorem vídi nec vidébo.

Versum pro spurio habendum esse mihi persuasum est. Nam primum sententia ex hoc versu 1011 sumta est: 'At etiam primo callidum et disertum credidi hominem.' Deinde hoc loco versus ordinem rerum turbare videtur. Nam demum inde a v. 1011 Pythias Parmenonem stultitiae et credulitatis arguit. Adde quod in hoc versu 1009 multis verbis pauca dicuntur, id quod magis apparebit, si hunc inanem versum cum v. 1011 contuleris. Praeterea animadvertendum est versum primum eiusdem scaenae ab iisdem verbis: 'Numquam edepol' incipere. Denique versu sequente v. 1010: 'Non possum satis narrare, quos ludos praebueris intus' melius ad Parmenonis interrogationem: 'quid rides?' respondetur, quam eo, quod universe servus stultitiae accusatur. Ceterum verba 'nec videbo' versus explendi causa ab interpolatore posita esse apparet.

Restat, ut de tribus versibus **Eun.** 603. 604. 606, qui legitima carent caesura, disputem. Sed cum v. 606 ultimus ex quindecim versibus sit, quos Terenti non esse mihi persuasum est, ad rem accuratius perpendendam et diligentius examinandam versus istos ipsos hoc loco ponam, sed ita, ut praecedentem et sequentem versum Terenti sincerum adiciam.

Ego homúncio hoc non fácerem? ego illud véro *item* feci ác lubens. 591
Dum haec mécum reputo, arcéssitur lavátum interea vírgo:
Iit, lávit, rediit; deinde eam in léctulo locárunt.
Sto expéctans, siquid mi inperent, venit úna, 'heus tu' inquit 'Dóre,
Cape hóc flabellum, véntulum huic sic fácito, dum lavámur:
Ubi nós laverimus, si voles, laváto? accipio tristis.
AN. Tum equidem istuc os tuom inpudens vidére nimium véllem,
Qui essét status, flabéllulum tenére te asinum tántum.
CH. Vix élocutast hóc, foras simul ómnes proruónt se,
Abeúnt lavatum, pérstrepunt, ita út fit, domini ubi ábsunt.
Intérea somnus virginem opprimít. ego limis spécto
Sic pér flabellum clánculum: simul ália circumspécto
Satin éxplorata sint. video esse. péssulum ostio óbdo.
AN. Quid túm? CH. Quid 'quid tum' fátue? AN. Fateor. CH. Án ego occasi nem
Mi osténtam, tantam, tám brevem, tam optátam, tam inspe átam
Amítterem? tum pól ego is essem véro, qui simulábar.
AN. Sane hércle ut dicis. séd interim de súmbolis quid áctumst?

Sed priusquam ad rem ipsam tractandam transeamus, nonnulla, quae ad rem actam intellegendam necessaria sunt, praedicenda videntur. Chaerea eunuchi vestimentis indutus pro vero eunucho, quem Phaedria frater Thaidi meretrici donavit, in aedes ad eam deductus est. Ad tantam rem audendam eum cupiditas incendit potiendae Philumenae, quam in via, cum ex domo Thrasonis militis ad Thaidem deduceretur, conspicatus amare coeperat. Singulas res, quae scelus commissum antecedunt, ipse, cum ex Thaidis domo fugisset, laetitia gestiens et exsultans Antiphoni amico forte obviam eunti narrat, quas nunc brevi comprehendam.

Thais ad cenam it, abducit secum ancillas, paucae 'noviciae puellae' manent, quae continuo 'adornant ut lavet' (v. 580—582). Adhortatur ut properent. 'Dum apparatur, virgo in conclavi sedet Suspectans tabulam quandam píctam: ibi inerat pictura haec, Iovem quo pacto Danaae misisse aiunt quondam in gremium

imbrem aureum' (v. 583—585). Chaerea quoque id spectare coepit et quia magnus ille Iuppiter 'iam olim consimilem ludum luserat', eo magis gaudebat (v. 586. 587). 'Ego', inquit, 'homuncio hoc non facerem? ego illud vero item feci ac lubens' (v. 591). Et Anthipho, qui extremam narrationis partem tacitus auscultaverat, ultima amici verba: 'ego illud vero item feci ac lubens' cum irrisione his verbis confirmat: 'Sane hercle ut dicis' (v. 607), quod Donatus recte hoc modo interpretatur: sane hercle ita est, ut dicis, id est, credo sane hercle te lubentem hoc item fecisse. Ceterum, quod in hoc versu (607) ad aliam rem transitur (sed interim de sumbolis quid actum est?), metrum subito mutatur: versus iambicos octonarios sequuntur septenarii iambici.

Nemo est qui non viderit, quam apte haec omnia inter se conexa sint, ut nihil, quod ad rem intellegendam necessarium fuerit, desideres. Quis vero est, qui poëtae pudorem verecundiamque non admiretur, quod non diutius, quam necesse erat, in his turpibus rebus describendis commoratus est neque quidquam ornandi causa addidit?

Quoniam Terenti narrationem his verbis: 'ego illud vero item feci ac lubens' (591) absolutam exposui, nunc videamus, qua ratione interpolator opus suum attexuerit et veram sinceramque narrationem continuaverit.

Qui, quamquam Chaerea narrationem de facinore suo his verbis: 'ego illud vero item feci ac lubens' ad finem perduxit, adulescentem denuo narrare incipientem facit his verbis: 'Dum haec mecum reputo' (v. 592). At omnino nihil antea secum reputavit. Nam per se ipsum patet in verbis praecedentibus 'ego illud vero item feci ac lubens', quibus Chaerea amico breviter quidem, sed tamen non obscure narrat se virgini vim attulisse, deliberationem esse nullam. Ac ne ea quidem verba, quae initio versus sunt: 'Ego homuncio hoc non facerem'? (ich hätte dies nicht thun sollen?) Chaerea secum reputans, sed ad amicum conversus dicit, ad quae ipse respondet: 'Ego illud vero item feci ac lubens.' Ceterum, si in illis verbis deliberatio inesset, ratio grammatica non imperfecti sed praesentis temporis coniunctivum flagitavisset et Chaerea ita fere secum loqui debebat: Coepi mecum reputare: si hoc Iuppiter magnus fecit, ego homuncio hoc non item faciam (sollte ich dies nicht ebenso thun?)? Apparet igitur et exstat prima verba interpolatoris 'Dum haec mecum reputo' praecedenti versui, in quo nulla est deliberatio, repugnare.

Et profecto signa interpolationis in his primis verbis tam clare expressa sunt, compages et commissura tam hians est, ut vel hac una re demonstretur a verbis 'Dum haec mecum reputo' opus interpolatoris incipere.

Mirum vero esset, si hanc tantam repugnantiam editores aut interpretes non animadvertissent. Et sane Bentleius, vir acutissimus, haec adnotat: 'Illud 'feci' ineptum est, ut et Faber vidit. Nihil enim tum fecerat, sed facturum se esse reputabat'. Quare audacter deleta vocula 'ita' scribit: 'Ego homuncio hoc non fecerim? ego vero illud fecerim ac lubens.' Quam viri ingeniosissimi coniecturam, quamquam Ruhnkenius in dictatis suis eam 'verissimam esse' censet, equidem audeo dicere mihi prorsus non probari. Nam, ut praeteream Bentleium a memoria librorum longius recedere, per rationes grammaticas ita dici non licet. Etenim Bentleius, si hoc loco coniunctivum dubitativum ponere volebat, — aliter autem intellegi illud prius 'fecerim' non potest — scribere debebat: 'faciam', quod coniunctivus perfecti in interrogatione dubitativa usurpari non solet. Non igitur mirandum est, quod nemo posteriorum editorum Bentleium secutus est. Illud vero certum est virum sagacissimum discrepantiam repugnantiamque inter 'ego — feci' et inter 'dum — reputo' esse summam sensisse et coniecturis tollere studuisse.

Aliud remedium, quo ista repugnantia versus Terenti et versus posterioris poëtae removeretur, G. Wagnerus excogitavit, qui in Terenti editione sua anglica haec adnotat: 'Chaerea anticipitates here his subsequent success.' At talem interpretationem non esse probandam non est, quod pluribus dicam. Illud vero premendum est Wagnerum quoque, aeque ac Bentleium, discrepantiam duorum istorum versuum, quae negari nullo modo potest, vidisse atque ei qualicumque interpretandi ratione mederi voluisse. Equidem contendo repugnantiae istius difficultates non esse eo expediendas, quod versus ultimus Terenti (v. 591), qui recte se habet, coniecturis vexatur. Solum remedium in eo positum videtur esse, quod versus sequentes alicuius interpolatoris, non Terenti esse existimandum est.

Deinceps videamus, qualis sit narratio, quam finxit interpolator.

Ac primum dicendum est eum illud sibi maxime proposuisse, ut narrationem quam longissime produceret et lectoris animum exitus exspectatione erigeret. Neque enim est dubium, quin

secundum priorem et veram narrationem, quae Terenti est, Chaerea scelus commiserit eo tempore, cum puellae aberant, ut lavationem adornarent. Interpolator contra, quod narrationem ducere voluit, facinus in posterius tempus differre coactus erat. Itaque ancillas redeuntes facit, ut virginem lavatum arcesserent. Tum Philumena, postquam lavit, in conclave redit et in lecto conlocatur (v. 592. 593). Sed videamus id, quod posterior poëta invenit, ut ancillas rursus removeret: nam illae discederent necesse erat, ut Chaerea solus cum sola in conclavi relinqueretur.

Atque in sincera narrationis parte poëta puellas discedentes facit quae adornent, ut Philumena lavet, quae causa eo aptior est, quod virgo foris in domum modo deducta est. Quam causam posterior poëta excogitavit discedendi? Nempe aliam? Immo eandem fere: abeunt, ut ipsae laventur. Abundat, credo, novus poëta inventione, quippe qui de suo nihil addat et eadem fere veteris poëtae causa abeundi iterum utatur! Omninoque novus poëta lavandi perstudiosus fuisse videtur, nam puellae Chaereae quoque, ut postea lavetur permittunt (Ubi nos laverimus, si voles, lavato v. 596).

Sed, si exspectes interpolatorem continuo ancillas abeuntes lavatum facere, vehementer erres. Illud enim solum spectabat, ut animos audientium sive legentium erectos suspensosque exspectatione redderet atque narrationis exitum quam longissime proferret. Quam ob rem de ordine rerum ornandi causa declinare atque mediam narrationem interrumpere coactus est. Adulescens igitur flabellum capere iubetur, ut ventulum virgini cubanti faciat (v. 594.), quod tristis accipit (v. 596). Hoc loco Antipho amicum narrantem his verbis alloquitur: 'Tum equidem istuc os tuom impudens videre nimium vellem, Qui esset status, flabellulum (Codd. flabellum) tenere te asinum tantum.' Animadvertendum est eundem Antiphonem, qui a poëta eo tantum consilio inductus est, ne Chaerea secum loqueretur, sed ut haberet cui rem narraret, et quem Terentius in narratione sua paucis verbis et interrogationibus interpellantem facit, (cf. Ain tu? v. 567, Quid id est? v. 571, Pro Eunuchon? v. 573, Cui? tibine? v. 577, Miser. v. 580) hoc loco duobus totis versibus orationem interrumpere. Ac si quis cognoscere velit, quantum discrimen inter veterem et novum poëtam intercedat, velim comparet, quae Terentius Antiphonem in simillima re ac conditione dicentem faciat. Chaereae cum

v. 579 Thais imperaret, ut virginem custodiret neve abscederet, adnuit 'terram intuens modeste' (v. 580). Ut igitur hoc loco 'tristem', ita illo loco 'modestum' se esse simulat. Ad quod amicus nihil nisi hoc unum verbum ironice respondet: 'Miser.' At hoc loco amicus non uno verbo aut paucis interpellat narrantem, sed duos versus ei ab interpolatore tribuuntur, quibus nihil absurdius aut ineptius fingi potest. Primum, ut illud ineptissimum 'tantum asinum' praeteream, qui Antipho de impudenti ore amici loqui potest, cum hic modo tristi vultu fuerit. At quanta varietas verborum structurae! primum 'videre' cum accusativo obiecti, tum cum interrogatione obliqua (qui esset status v. 598) coniungitur, denique accusativus cum infinitivo sequitur (tenere te v. 598). Quamquam apud comicos mutatio structurae inusitata non est, tamen mirum est hoc loco tripliciter orationem variari.

In sequentibus versibus iterum dilucide observare licet, quantum Terenti ratio differat ab interpolatore. Nam cum ille in eadem re, quoniam ancillae aeque atque hoc loco absente domina, atque etiam hortante Chaerea, ut properent, abeunt, nihil de abeundi ratione ornandi causa adiecerit, hic 'proruentes se' et 'perstrepentes' puellas discedentes facit. Quid? quod etiam generali sententia (ita ut fit, domini ubi absunt v. 600) discessum earum ornat.

Postremo sequentibus tribus versibus (601, 603) narratio ad finem perducitur. Nam postquam pessulum ostio obdidit (v. 603), narratio ipsa continuari non iam potest. Nihilominus poëtae posteriori contingit, ut tres alios versus, quia Antipho quaerit: 'Quid tum?' (v. 604), addat. Atque etiam hoc loco videre licet, quantum discrimen inter artem poëtae veteris et novi intercedat. Nam cum illo loco (v. 591) res turpis a vero poeta de industria quam brevissime et leviter tantum attingatur ('Ego hoc non facerem?'), hoc loco eadem sententia quam plurimis verbis exprimitur atque dilatatur: 'An ego occasionem-amitterem?' Memorabile est nomini 'occasionem' quinque adiectiva adiuncta esse. Ceterum mentione dignum est extremae narrationi eandem enuntiati conformationem esse ac sincerae. Nam non solum coniunctivus dubitativus praeteriti temporis 'amitterem' (v. 606) respondet coniunctivo 'facerem', quod est in extrema sincerae narrationis parte (v. 591), sed etiam utroque loco particula 'vero' invenitur.

His argumentis demonstravisse nobis videmur hoc loco duas diversas narrationes diversorum poëtarum male copulatas esse, id quod signis indiciisque quibusdam, quae in metro et in oratione insunt, confirmatur.

Videamus primum metricas rationes. Ac mirum est, quod posterior poëta narrationem suam non in eodem metro, quod priori narrationi Terenti, sed in eodem, quod sequentibus versibus est, composuit. Quid tandem causae erat, cur interpolator, quoniam omnia pro una narratione eiusdem poetae haberi voluit, metrum in media narratione mutaret? Nonne vidit, si iam hoc loco iambicos septenarios posuisset, numerorum mutationem eo loco, ubi apta, ne dicam, necessaria erat, et ubi Terentius eam esse voluit, post v. 606, sublatam fore? Nam inde a verbis 'sed interim' sq. (v. 607), ut iam supra dixi, de prorsus alia re agitur.

Iam vero mirum esse debet, quod in hac tam brevi narratione tres deinceps fere versus cum caesura secundaria inveniuntur: v. 603. 604. 606, qui coniecturis sanari non possunt.

Nec vero solum metrum, sed etiam oratio multis rebus offensionem habet. Ac mirandum est bis paene deinceps adverbium 'sic', quod hoc loco demonstrantis est, quae significatio rara est, usurpatur, v. 595: ventulum huic sic facito et v. 602: sic per flabellum clanculum. Nec minus notandum est versus 601 et 602 verbis idem sonantibus 'specto' et 'circumspecto' terminari. De singulari orationis conformatione, quae est in v. 597—598 iam supra dictum est. 'Se proruere' (v. 599) vero nusquam apud latinos scriptores reperitur. Item 'perstrepere' (v. 600) nusquam est nisi apud poëtas posteriorum aetatum. Durissima vero ellipsis est in 'limis', ad quod 'oculis' audiendum est.

Haec omnia tam inusitata sunt atque ab omni Latinitate tam abhorrent, ut hos versus Terentianos esse negandum sit. Maximam vero et gravissimam causam, cur hi versus Terenti esse non possint, ut iam supra dixi, in eo esse iudico, quod verba 'Dum haec mecum reputo' praecedentibus verbis 'ego illud vero item feci ac lubens' repugnant. Mea quidem sententia vel haec una res ad interpolationem demonstrandam sufficit.

Transeamus nunc ad illos versus septenarios, qui neque diaeresin neque caesuram secundariam habent. (Cf. Conradt, die metr. Composition der Comödien des Terenz p. 25.)

Eun. 1015 Nam quíd illi credis ánimi tum fuísse, ubi vestem vídit.

Sic ab omnibus libris mss. proditum est. Recte iam Bentleius, quem Fleckeisenus secutus est, transposuit: túm animi.

Eun. 1021 Tu iám pendebis, quí stultum adulescéntulum nobílitas.

Locus corruptus est. Bentleius adnotat: 'Cur Chaeream stultum vocet, nulla ratio est; quem intus ipsa noverat feliciter rem gerere. At Parmeno stultus'. Quare scripsit: 'stulte, qui adulescentulum'. At ut infra pluribus demonstrabimus, ultima littera vocalis ante diaeresin elidi non licet. Quare scribendum propono:

Tu iám pendebis, stúlte, qui | adulescentem nobílitas.

Ad. 711 Ne fórte imprudens fáciam quod nolít: sciens cavébo.

In codicibus B C F P est: Ne imprudens forte, E omisit 'forte'. Bentleius iure correxit: Ne imprúdens faciam fórte quod nolít: sciens cavébo.

Hec. 248 Sed nón adeo, ut facílitas mea corrúmpat illorum ánimos.

Sic A D G, quos libros Umpfenbachius sequi non debebat. Reliqui codices et Donatus in lemmate praebent 'mea facilitas', quae scriptura vel a recta pronuntiatione fácilitas commendationem habet. Merito Bentleius et Fleckeisenus íta posuerunt.

Andr. 715 Quapropter? || Ita facto opus est. || Matura. || Iam inquam hic adero.

Iam Bentleius, quem omnes editores secuti sunt praeter Fleckeisenum, qui 'at' ante 'matura' inseruit, ex antiquis editionibus recepit: facto est opus.

Hec. 249 Quod tú si idem facerés, magis in rem et vóstram et nostram id ésset.

Ita Umpfenbachius versum scripsit. Iam Kraussius 'id' sustulit. Recte Fleckeisenus legitimam diaeresin restituit, cum scripsit: Quod tú si idem facerés, magis in rem ét nostram et nostram ésset.

II.

DE HIATU ET SYLLABA ANCIPITI.

Apud Plautum hiatus et syllabae ancipitis tot exempla inveniuntur, ut dubitari non possit, quin utrumque a poëta admissum sit. Ut in Milite inter septenos fere versus singuli habent hiatum vel syllabam ancipitem eademque ratio est in reliquis comoediis (v. Mohr. l. c. p. 8). Vide etiam eos versus, quod Hermann. elem. p. 149 ex Asinaria III 3, 61 et v. 84 sq. attulit. Quin etiam hiatus et syllaba anceps in eodem versu coniuncta saepius inveniuntur.

Rarius hiatus et syllaba anceps apud Terentium a codicibus proditur.[1]) Utrumque invenitur:

Hec. 830 Eum haéc cognovit Mýrrhina | in dígito modo me habénte.

Haut. 739 Quid? || Tránseundumst núnc tibi | ad Ménedemum et tua pómpa.

Syllaba anceps est in his versibus:

Eun. 265 Viden ótium et cibus quíd facit aliénus? || Sed ego césso.

Ib. 1014 Aduléscens, ni miserum ínsuper etiám patri indicáris.

Ib. 1023 Nullús sum. || Hic pro illo múnere tibi honós est habitus: ábeo.

Haut. 724 Decém minas quas míhi dare pollícitus, quod si is núnc me.

Accedunt etiam hi versus, si accuratius in eos inquisiveris:

---

[1]) Quare Hermannus elem. p. 150: Etsi, inquit, facile crediderim, Terentium parcius hac licentia usum esse. Cf. P. Mohr p. 6: Terentius quamquam ne hic quidem prorsus reiecit asynartetam versuum horum formam, at parcius tamen istam admisit licentiam. Conradtius l. c. p. 28 n. hiatum et syllabam ancipitem a Terentio admissa esse negat, cum dicit: Als wenn es von vornherein feststände, dass Terenz sich in der Diärese dieser Versart Syllaba anceps und Hiatus erlaubt hat.

Haut. 688 Ita crédo: sed nunc, Clínia, | age, dá te mihi vicíssim.

Hec. 265 Et te hóc mihi cupio crédere | illiam ad vós redire stúdeo.

Ib. 833 Haec tót propter me gaúdia | illi cóntigisse laétor.

Nam quis est qui hos versus ita metiatur: Clínia, ag | e, dá; crédere: ill | am ad; gaúdia ill | i, praesertim cum distinctione ipsa, quae est post 'Clinia' et post 'credere', clare indicetur incisionem post haec vocabula cadere.

Nec minus cum hiatu, ne praepositio a casu suo divellatur, pronuntiandum est

Andr. 712 Ut dúcam. || Ridiculum. || Húc face | ad me ut vénias, siquid póteris.

Eun. 755 Dum haec lóquimur, interóa loci | ad macéllum ubi adventámus.

Hec. 836 Numquam ánimum quaesti grátia | ad malás adducam pártis.

Nam correptio praepositionis 'ad' ante sequentem liquidam in primo pede nihil offensionis habet. Praeterea plenior imperativi forma 'face', quae nusquam nisi in exitu versuum a Terentio usurpatur (V. Engelbrecht Studia Terent. p. 63), documento est incisionem non post 'ad', sed post 'face' esse debere.

Eadem de causa improbandum est, quod recentiores editores scripserunt

Phorm. 781 sq. (vorsura solves,)
Geta: praésens quod fuerát malum in diem ábiit: plagae créscunt.

Recte iam Bentleius deleto 'Geta' cum duobus codicibus posuit:
Praeséns quod fuerat ín diem malum ábiit: plagae créscunt.

Magna vero eorum versuum copia est, in quibus hiatum correctores rei metricae imperiti inanibus quibusdam vocibus (nos dicimus: Flickwoerter) inculcandis removerunt.[1])

Luculentum exemplum est

Eun. 261 Tam fácile victum quaérere: ibi homo coépit me obsecráre

---

[1]) Multos trochaicos septenarios C. F. W. Muellerus (Nachträge p. 90 sq.) ex Plauti comoediis collegit, in quibus tales inanes voces item hiatus devitandi causa inculcatae sunt.

Hoc loco adverbium 'ibi' insertum reperitur in omnibus codicibus Bembino non excepto, ut colligi possit etiam antiquo et optimo illi libro nihil omnino auctoritatis in hac re tribuendum esse. Nam hoc loco librarii particulam 'ibi' praecedenti 'ubi-videt' in apodosi respondere voluerunt, quod a consuetudine linguae latinae abhorrere pro certo habendum est. Recte igitur Fleckeisenus et Umpfenbachius 'ibi' uncis incluserunt. Nam apertum est grammaticos hanc voculam infersisse, ut hiatum removerent.

Atque etiam illud his editoribus assentior, quod 'eius' incluserunt

Hec. 840 Multa éx quo fuerint cómmoda, [eius] incómmoda aequomst férre.

Hec. 825 Quid éxanimatu's óbsecro? aut unde ánulum istum náctu's?

Iam Umpfenbachius iure 'aut' omisit, quod hiatus tollendi causa a correctoribus inculcatum esse patet et quod quid sibi velit intellegi non potest. Asyndeton quod dicitur Bacchidi cum animi commotione Pamphilum interroganti maxime conveniens est.

Hec. 339 Nunc ád eam visam. PAR. Heus, Sóstrata. SO. Hem. PAR. Iterum ístinc excludére.

Deleta interiectione scribe cum hiatu: Heus, Sóstrata, iterum ístinc excludére.

Hec. 251 Adií te heri de fília: ut veni, ítidem incertum amísti.

Ita omnes editores inde ab Bentleio septenarium scribunt. In omnibus autem codicibus est: amisisti, excepto G, qui cum Donato et Eugraphio 'amisti' praebet. Neque vero 'me' obiectum abesse debet, quod in G et in D post 'incertum' proditum est. Quod si 'me', quod desideratur, et 'amisisti', quod in omnibus fere codicibus est, recepimus, hoc integrum alterum κῶλον septenarii nascitur: incértum me amisisti. Mea quidem sententia verba: 'ut veni itidem' a grammatico aliquo, quem hiatus offenderat, additum esse existimandum est. Ceterum 'incertum' in relativa, non in demonstrativa enuntiatione positum esse debebat: ut incertus veni, itidem me amisisti. Legendum est igitur cum hiatu:

Adií te heri de fília: incértum me amisísti.

Nulla vero vox frequentius a librariis inculcata est, quam copula 'esse', id quod hi loci demonstrant:

Haut. 731 sq.: Mea Phrýgia, audisti, módo iste homo quam víllam demonstrávit
Charíni? || Audivi. || Próximam esse huic fúndo ad dextram? || Mémini.

Opportune accidit, quod hoc loco in libris manu scriptis ipsis vestigia eius, quod Terentius scripsit, sunt. Nam in codice D infinitivus 'esse' ab altera manu adiectus est, id quod contra legem metricam est, quae elisionem in caesura fieri vetat. Iam vero elegantius est a Bacchide structuram inceptam continuari, quam mutari.

Ad. 707 Quid hoc ést negoti? hoc ést patrem esse aut hóc est filium ésse?

Supervacaneum, ne dicam, molestum est hoc duplex 'esse'. Patet illud prius 'esse' hiatus tollendi causa a correctore aliquo adiectum esse.

Haut. 687 Laetór quam illius: quam égo scio esse honóre quovis dígnam.

Quamquam hoc loco collocari licet: dignam esse honore quovis, tamen malim 'esse' tollatur.

Haut. 697 Senéx resciscet ílico esse amícam hanc Clitiphónis.

Scribendum esse propono: senéx resciscet ílico | amícam hanc Clitiphonis, nisi forte mavis: Senĕx résciscet esse ílico amícam hanc Clitiphónis.

Hec. 264 Novi ét quae dicis ómnia esse, ut dícis, animum indúco.

Delendum videtur 'esse' et legendum: Novi ét quae dicis ómnia | ut dícis animum indúco.

Andr. 695 Non, sí capiundos míhi sciam esse inimícos omnis hómines.

Scribendum videtur: Non sí capiundos míhi sciam | inimícos omnis hómines.

Duobus locis 'esse' transponendum est:

Haut. 734 Quid incéptat? || Dic me hic óppido esse invítam atque adservári.

A praebet: atque servari. Scribendum igitur videtur: Dic me hic óppido | invítam esse ac servári.

Omnibus his locis 'esse', quod, quam frequenter a comicis omitti soleat, non est quod dicam, ab interpolatoribus profectum esse videtur, ut hiatus removeretur. Eodem modo 'est' semel falso inculcatum est:

Phorm. 769 Accípere ab illo iniúriam? etiam argéntum est ultro obiéctum.

Ipsa gravi distinctione indicatur alteram dipodiam a voce 'etiam' incipere. Accedit, quod 'est' in C E P deest et in D F[1] erasum est. Denique sententia ipsa postulatur, ut 'est' deleatur. Nam enuntiatum 'etiam — obiectum' pro exclamatione Demiphonis valde irritati est habendum. Scribendum est igitur cum hiatu: Accípere ab illo iniúriam? etiam árgentum ultro obiéctum.

Ter 'h e r c l e' falso adiectum est, ut hiatus tolleretur:

Phorm. 774 Etiámne id dubiumst? || Haúscio h e r c l e, ut homóst, an mutet ánimum.

Cum formula 'hauscio an' valeat 'fortasse', facile intellegitur, quam huic loco non sit conveniens illud 'hercle' affirmativum. Nam qui aliquid f o r t a s s e accidere posse putat, eius sententia dubia et incerta est. Nemo autem rem, de qua dubitat, particula 'hercle' addita affirmare solet. Ergo scribas: Hauscio, | ut homóst, an mutet ánimum.

Eun. 321 Quid? vírgo quoiast? || Néscio h e r c l e. || Undést? || Tantundem. || Ubi hábitat?

Chaerea nihil habet, quod ad simplicem interrogationem Parmenonis: 'virgo quoiast?' 'hercle' addat. Satis est eum sine affirmativa voce respondere: 'Nescio'. 'Hercle' suo loco positum esset, si Parmeno antea miratus esset eum id nescire, vel si dubitavisset, verumne ille dixisset. Non est igitur dubium, quin scribendum sit: Nescio. | Undést? Tantundem. Ubi hábitat?

Eun. 274 Hoc tíbi mancupium? || Nón malum h e r c l e. || Uro hóminem. || Ut falsus ánimist.

Cum Parmeno Gnathoni interroganti: 'Sed quid videtur Hoc tibi mancupium?' clara voce respondeat, ridiculum esset, si 'hercle' ad 'non malum', quod servus coactus et invitus dicit, addidisset.

'Hercle' tum recte se haberet, si servus illa verba secum loqueretur. Ergo scribendum est cum hiatu: Nón malum. | Uro hóminem. Ut falsus ánimist.

Eun. 268 sq. Rivális servom: sálva res est, ní mirum homines frígent.
Nebulónem hunc certumst lúdere. PA. Hisce hoc múnere arbitrántur

Animadvertendum est in Bembino codice, si non a prima, at ab antiqua manu in v. 268 ad 'ni mirum' ascriptum esse HIS, quod sine dubio pro 'hisce' falso a librario positum est. Certum est pronomen demonstrativum hoc loco deesse non posse, cum Gnatho primum de Phaedria eiusque servo loquatur. Sed nemo 'hisce' in sequente versu desiderabit, ubi repetitio eiusdem verbi etiam molesta est. Verisimile est 'hisce' in priore versu, ubi suo loco erat, a correctoribus deletum et in posteriore versu adiectum esse, ut hiatum fugerent.

Tollendum autem in priore versu 'est', id quod iam Bentleius fecit collatis locis Eun. 361: alia res, Plaut. Capt. III 1, 28: una res, Rud. I 2, 83: salva res. Ceterum 'est' vel ideo delendum est, quod artissime cum vocabulo antecedente copulata est, atque caesura ab eo divelleretur. Contra sublata copula 'est' incisio in gravem distinctionem cadit, quo nihil frequentius invenitur. Ergo hi duo septenarii sic legendi videntur:

Rivális servom: sálva res. ni mírum hisce homines frígent.
Nebulónem hunc certumst lúdere. || Hoc múnere arbitrántur.

Haut. 729 Satis scíte promittít tibi. || Atqui tu hánc iocari crédis?

In hoc versu correctores 'tu' hiatus tegendi causa inserserunt. Vel ex magna interpunctione, quae est post 'tibi', apparet priorem septenarii dipodiam hoc pronomine terminari. Ceterum altera versus dipodia: 'Atqui-credis', id quod iam Guyetus vidit, non est pro interrogatione habendum. Quare scribendum est:
Satis scíte promittít tibi. || Atqui hánc iocari crédis.

Phorm. 753 Harúm qui est dominus aédium. CH. Antiphónin? SO. || Em, isti ípsi.

Posterior versus pars eo corrupta est, quod correctores hiatum tolli voluerunt. Primum monendum est 'em', quod recentiores editores receperunt, intellegi non posse. Nam, quoniam

Sostrata quaestionem Chremetis simpliciter annuit, quid opus est 'em' interiectione, quae demonstrantis est? Nec magis 'hem', quod in nonnullis libris (BEFG) est, interpretari possis. Nam 'hem' omnibus locis admirantis vel dolentis est. At ob hanc ipsam causam 'hem' Chremeti maxime conveniens est, qui vehementer miratur, quod filia Antiphoni nupta est. Propono igitur sublato -ne interrogativo scribendum:

Harúm qui est dominus aédium. || Hem, Ántiphoni? || Isti ípsi.

Hiatus, qui post interiectionem est, nihil offensionis habet.

Phorm. 765 SO. Nemo éx me scibit. CH. Séquere me: intus cétera audiémus.

Sic Bentleius et Umpfenbachius. AFG: intus cetera audies, BCEP cetera intus audies. Quod Fleckeisenus coniecit: intus aúdies quae restant, nimis a librorum memoria recedit. De Bentlei coniectura Dziatzko iure adnotat nihil esse, quod Chremes, cum de omnibus rebus certior factus sit, amplius audire possit. Wagnerus recepit 'audietis', quod Weisius et Kayserus proposuerunt. Sed omnes doctorum virorum coniecturas enarrare longum est. Mihi quidem persuasum est alteram dipodiam eo depravatam et corruptam esse, quod grammatici hiatum removebant. Quare veram scripturam hanc esse existimo:

Nemo éx me scibit. || Séquere me: | **audíbis** cetera íntus.

De hac futuri temporis forma vide Engelbrechti studia Ter. p. 58.

Phorm. 780 Quid fíet? in eodém luto haesitás: vorsura sólves.

Quamquam collocari potest: in eodem haésitas lutó: v. s., tamen rectene septenarius hoc modo restitutus sit dubito. Nam proverbialis locutio non est 'in luto haesitare', sed 'in luto haerere'. Cf. Plaut. Pers. 535 tali ut in luto haeream. Adde, | quod verbum frequentativum haesitandi, quantum scio, neque apud Plautum neque apud Terentium invenitur. 'Haesitare' hoc loco a grammaticis esse positum videtur, ut hiatus devitaretur. Quare scribere malim:

Quid fíet? in eodém luto | haerés: vorsura sólves.

Haut. 695 Amíci quoque res, Clínia, tui in túto ut conlocétur.

Nescio an 'tui', quod in DG ante 'Clinia' positum est, delendum sit. Confer similem locum, ubi 'tui' item deest, Haut. 689: Nam amíci quoque res ést videnda in túto ut conlocétur.

III.

DE SYNALOEPHA IN MEDIA CAESURA.

Duo synaloepharum genera sunt distinguenda: aut ultima syllaba quarti iambi ante caesuram cum sequente vocabulo monosyllabo vel polysyllabo coalescit, aut verbum ultra quartum pedem procedit, ut extrema syllaba, quae eliditur, post caesuram sit. Hoc loco haec quaestio existit, utrum elisioni in caesura iambicorum septenariorum locus concessus sit necne. Tenendum est semper poëtam septenarios asynartetos esse voluisse, ut ex duabus partibus, quae quasi pro singulis versibus habendae sunt, nulla continuatione numeri constarent. Apertum est autem, cum synaloepha duo verba, quae coalescunt, arte copulentur, ita ut quasi unum verbum efficiant, id naturae et rationi septenariorum, qui asynarteti sunt, repugnare. Prorsus alia ratio est synartetorum versuum, in quibus elisio vocalis caesurae non officit et indicatur vocabulum ea syllaba terminari, 'quae si non elideretur, nihil ad legitimae caesurae elegantiam deesset' (Ritschel. proll. p. CCLXXIV). Ex his, quae modo exposui, efficitur, ut quae leges in fine versuum, eaedem in fine prioris dipodiae valeant.

Quaeritur igitur, quibus conditionibus elisio in fine versuum admitti soleat. Quam quaestionem cum alio loco uberius tractare in animo sit, nunc tantum dicatur Terentium et Plautum elisionem in fine versuum nisi sequente voce enclitica sibi non indulsisse. In encliticis autem vocibus omnes formae monosyllabae verbi 'esse' et omnes casus monosyllabi pronominum et pronominalium adverbiorum excepto pronomine relativo numeranda sunt.

His fundamentis iactis ad singulos versus transeamus atque primum de iis septenariis disputemus, in quibus synaloepha cum sequente voce monosyllaba est.

1.

Minime elisionem tum perferendam esse, cum interpunctio in commissura duorum membrorum est post vocem monosyllabam elidendam, non est quod dicam.

Nihilominus hi septenarii inveniuntur:

Hec. 356 Quid fuít tumulti? díc mihi: an dolór repente invásit?

Si 'an' particula hoc loco recte positum esset, disiunctio quae dicitur in hac interrogatione inesse deberet. Sensus autem est: Quid fuit tumulti? tumultus fortasse ex eo ortus est, quod dolor repente invasit? Ergo falsum illud 'an' tollendum videtur.

Eun. 1017 Hem quíd dixisti, péssuma? an mentíta es? etiam rídes?

Notandum est E codicem 'oh mentita est' praebere. In hoc quoque versu interrogatio 'an mentita es?' praecedenti 'quid dixisti' non est opposita. 'An' recte se haberet, si Parmeno interrogasset: verum dixisti? id quod hoc loco intellegi non potest.

Eun. 286 Etiám nunc hic stas, Pármeno? eho numnam híc relictus cústos?

In D est eoh, in G oh. Merito T. Faber 'eho' sustulit, quem recentiores editores secuti sunt.

Eun. 1012 Quid? ílicone crédere ea quae díxi oportuít te?

Ita Bentleius cum omnibus libris scripsit. Apertum est correctores 'ea' syllabae ancipitis vitandae causa infersisse. Iure igitur Fleckeisenus et Umpfenbachius 'ea' uncis incluserunt.

Nonnullis locis monosyllabum 'ut' in caesura invenitur:

Hec. 272 Certúmne est istuc? || Núnc quidem, ut vidétur: sed numquíd vis?

Apertum est hoc loco 'ut' rectius deesse. Scribas:

Certúmne est istuc? Núnc quidem vidétur: sed numqúid vis?

Eun. 1005 PA. Quid hoc aútemst? PY. Nunc id pródeo ut convéniam Parmenónem.

Primum illud mirabile est, quod hoc loco 'id' sequenti particulae 'ut' respondet, id quod nusquam apud Terentium invenitur. Deinde quid Parmenonis interrogatio: 'Quid hoc autemst?' sibi vult? Qua de re servus 'autem' adiecit, cum Pythias antea nihil

dixerit, de quo indignaretur? Denique cur ancilla e domo exiens dicit, quam ob rem prodeat? Nonne ex sequente versu: 'Sed ubi obsecrost? PA. Me quaerit haec. PY. Atque eccum video: adibo' clare elucet Parmenonem a Pythia quaeri? (Vide, quae ego de hac re in Fleckeiseni ann. 1884 p. 308 sq. pluribus exposui). Mihi quidem dubium non est, quin hic versus supervacaneus non Terenti, sed interpolatoris sit.

Haut. 681 Dedó patri me núnciam, ut frugálior sim quám volt.

Si Clitipho, adulescens levis atque prodigus, cuius amica Bacchis est, haec verba loqueretur, intellegi possent. Nunc autem Cliniae adulescenti frugi et temperanti versus tribuitur, qui praeterea cum praegressis versibus, in quibus Clinia laetitia effertur, quod Antiphila filia Chremetis cognita est, non cohaeret. Accedit quod in Syri verbis quae sequuntur: 'Nil me fefellit: cognita est', hic versus non respicitur. Ceterum 'nunciam' cum Guyeto et Bentleio h. l. non recte positum esse puto, quod elucet ex eis, quae Langenus l. allato p. 285 sq. de usu particulae 'nunciam' dixit.[1]) Nam 'nunciam' semper a poëtis comicis vel cum imperativo vel cum coniunctivo vel, id quod rarissimum est, cum futuro tempore coniungi solet, numquam cum praesenti tempore. Quibus de causis hunc versum Terenti esse nego.

Hec. 267 sq. Eho, númquid nam accusát virum? PH. Minumé: nam [postquam atténdi
Magis ét vi coepi cógere ut redíret,] sancte adiúrat
Non pósse apud vos Pámphilo se absénte perduráre.

Primum quaerendum est, quid hoc loco 'attendi' valeat. Omnibus locis 'attendere (animum)' est nostrum 'aufmerksam achten', quae significatio in hoc versu sensu caret. Iam Donatus nesciebat, qua ratione hoc verbum interpretaretur, nam adnotat:

---

[1]) Langeno, qui l. a. p. 288 discrimen inter 'nunciam', 'nunc', 'nunc iam', 'iam nunc' intercedens a Terentio diligenter observatum esse negat, non assentior. Nam Eun. 561 cum Guyeto et Bentleio scribendum esse existimo: Nemo ómniumst quem ego núnc magis cuperém videre quám te. Nec in hoc versu Ad. 884: 'iam nunc haec tria primum addidi praeter naturam' est 'iam nunc' pro 'nunciam' positum. Nam interpretandum est: schon jetzt habe ich diese drei Redensarten gegen meine Natur hinzugefügt, id est: putabam futurum esse ut id multo serius discerem. Ex quo apparet etiam h. l. 'iam nunc', quod ad futurum, non ad praeteritum tempus referatur necesse est, rectissime se habere.

'Instití. Et vide num desit animum'. At numquam 'attendere' est idem quod 'instare'. Deinde quod Phidippus de se ipse dicit se vi coepisse cogere, in mores et naturam huius hominis non cadit, qui, ut Graeci loquuntur, γυναικοκρατούμενος erat (cf. Lachetis verba v. 250 nunc video in illarum esse te potestate) et qui de se ipse infra (v. 270 sq.) profitetur: 'ego sum animo leni natus. Non possum advorsari meis'. Confer etiam ea, quae initio huius scaenae idem e domo egrediens ad filiam loquitur (v. 243 sq.): 'Etsi scio ego, Philumena, meum ius esse ut te cogam Quae ego imperem facere, ego tamen patrio animo victus faciam, Ut tibi concedam, neque tuae libidini advorsabor'. Phidippus, cum ipse ingenium suum sic depingat, sibi ipse repugnaret, si de se diceret: se vi suos coëgisse. His de causis verba 'postquam — rediret' a me uncis inclusa Terentiana esse nego, quae aliquis addidit, quod sententias non apte inter se cohaerere opinabatur. At deletis his verbis nihil desideres.

Quattuor locis 'et' ante caesuram est:

Eun. 266 (Sed ego césso)

Ad Tháïdem hanc dedúcere et rogáre ad cenam ut véniat? Parasitus, quo diutius usque ad id tempus commorabatur, eo ocius properat. Asyndeton igitur cum orationi Gnathonis conveniens sit, 'et' delendum est.

Eun. 1011 At étiam primo cállidum et disértum credidi hóminem.

Hoc quoque loco 'et' melius tollatur, cum Pythias servum maxima cum licentia irrideat. Accedit, quod memoria librorum dubia est. Nam in CEFP 'ac' pro 'et', quod Bentleius recepit, legitur.

Hec. 820 Qua ré suspectus suó patri et Phidíppo fuit, exsólvi.

Transponendum videtur esse:

Qua ré suspectus suó patri fuit ét Phidippo, exsólvi.

Haut. 724 sq. Quod si is núnc me

Decéperit, saepe óbsecrans me ut véniam frustra véniet,

Decípiam ac non veniám, Syrus mihi térgo poenas péndet.

Quis est qui hoc loco aliquid desideret, aut cui aliquod obscurum sit, quod longiore explanatione egeat? Nam cum Bacchis se decepturam esse dicit, nihil aliud dicit, nisi hoc: promittam me

venturam esse, sed non veniam. Nihilominus, quamquam omnia facile intellegi possunt, hi duo versus post 'veniet' (725) et ante 'Decipiam' (728) inculcati sunt:

Aut cúm venturam díxero et constítuero, cum is vére
Renúntiarit, Clítipho cum in spé pendebit ánimi.

In promptu est his duobus septenariis planius id exponi, quod in 'decipiam' inesse modo diximus. Ceterum vel 'Aut' signum et indicium interpolationis est, cum de eadem re, non de diversa agatur.

Adde, quod memoria librorum incerta est. Nam in A est 'renuntiabit', in DG 'renunciaverit', 'in' ante 'spe' omittunt B? CDEFGP. Sed gravioris momenti est, quod oratio ipsa multis rebus insolentior est. Primum quid significet 'constituero', divinari tantum atque conici potest. Verisimile est interpolatorem hoc verbum sic accipi voluisse, ut valeat 'horam vel tempus constituere', quae vis in verbo solo non inest. Deinde locutio 'in spe pendere animi' nusquam alibi invenitur. Tum mirum est, quod tria deinceps enuntiata a coniunctione 'cum' incipiunt. Denique per rationes metricas verbum, quod formam paeonis quarti habet, in arsi post diaeresin ponere non licet. Quibus de causis hos septenarios a Terentio profectos esse non existimo.

Compluribus locis monosyllaba sunt pronomina. Quae quamquam ars metrica in fine prioris dipodiae septenarii esse non vetat, tamen saepius a grammaticis addita esse videntur, ut syllaba anceps vel hiatus devitaretur. Sunt autem hi loci:

Eun. 261 sq. homo coépit me obsecráre,
Ut síbi liceret díscere id de mé: sectari iússi.

Quo, quaeso, 'id' referendum videtur esse? Duae res sunt, propter quas 'miser famelicus' parasitum admiratur, una, quod videt ei 'esse tantum honorem', altera, quod 'tam facile victum quaerit'. Quare pluralem numerum 'ea' exspectes. Nec vero ille has duas res solum discere vult, sed universe parasiti discipulus fieri cupit. Itaque facete Gnatho, quasi princeps alicuius sectae philosophorum sit, eum 'sectari' iubet. Dele igitur 'id', quod correctores syllabae ancipitis devitandae causa inseruerunt.

Phorm. 779 Provísumst, ne in praeséntia haec hinc ábeat: quid nunc pórro?

Supervacaneum, ne dicam, molestum est 'hinc', quod additum est, ut hiatus tolleretur. Ergo scribendum videtur:

Provísumst, ne in praeséntia | haec ábeat: quid nunc pórro?

Phorm. 750 Matrem ípsam ex aegritúdine hac miserám mors consecúta est.

At 'hac' deest in omnibus libris recensionis Calliopianae, omittitur etiam a Donato et Eugraphio. Ille recte interpretatur 'infirmitate ac morbo'. 'Aegritudine hac' hoc valeret: ex tristitia, quod maritum suum invenire non potuit. Iure igitur Bentleius 'hac' sustulit adnotans: 'Corrector, credo, Bembinus, versus gratia addidit 'hac', quo tamen versus aeque commode carere potest, sententia commodius caret?' Recte id quidem, nam correctores syllabam ancipitem tolli voluerunt.

Veniamus nunc ad eos septenarios, in quibus ultima syllaba quarti iambi cum sequente vocabulo complurium syllabarum coalescit. Iam supra dictum est hanc elisionem omnino non esse tolerandam.

Andr. 686 Mysís. || Quis est? hem, Pámphile, optumé mihi te offers. || Quíd id est?

Collocatio verborum 'Pamphile optume mihi' in codicibus dubia est, nam E praebet: optime Pamphile mi. Equidem Spengelio assentior in editione sua ita collocanti: Pámphile, mihi te óptume offers. Verisimile autem est correctores syllabae ancipitis removendae causa verborum ordinem immutavisse.

Eun. 610 Ubi mútem? perii: nám domo exuló nunc: metuo frátrem.

Iam Bentleius transposuit:

Ubi mútem? perii: nam óxulo domó nunc: metuo frátrem.

Eun. 274 sq. PA. Ut falsus animist.

GN. Quam hoc múnus gratum Tháïdi arbitráre esse? PA. Hoc nunc dícis,

Eiéctos hinc nos: ómnium rerum, heús, vicissitúdost.

Primum mirum est, quod exclamationem Parmenonis: 'ut falsus animist' accusativus cum infinitivo non sequitur, ut intellegatur, qua in re Gnatho fallatur. Deinde nova quaestio Gnathonis, postquam modo interrogavit: 'sed quid videtur hoc tibi mancupium?' languida est. Tum Parmenonis verba 'hoc nunc dicis?' cum praegressis verbis non cohaerent. Nam nemo est qui putet Gnathonem interrogantem: 'Quam hoc-esse?' hoc dicere aut significare voluisse Chaeream cum servo eiectos esse. Denique 'nunc' interpretari non possis, cum sensus in addito adverbio non insit. Quid enim? servus putat parasitum postea fortasse aliud his verbis significare posse? Quibus causis adductus sum, ut hunc versum ab interpolatore esse profectum putem. Quo versu sublato omnia aptissime inter se conexa sunt, cum nunc cum Parmenonis verbis: 'Ut falsus animist' accusativus cum infinitivo: 'eiectos hinc nos' coniungendus sit. Scilicet servus haec verba summissa voce loquitur, ne parasitus ea audire possit: clara vero voce loquitur: 'omnium rerum, heus, vicissitudost', id quod vel ex interiectione 'heus' patet.

Haut. 704 Bonam átque iustam rem óppido inperás et factu fácilem.

Interpolatoris vestigium, ut falsam in caesura elisionem omittam, vel in particulis 'atque-et' deprehendas. Nam trium adiectivorum alterum coniunctione 'atque', tertium coniunctione 'et' inter se copulari a Latinitate prorsus alienum est. Adde, quod collocatio adverbii 'oppido', quod non cum 'imperas', sed cum adiectivis 'bonam' et 'iustam' coniungendum est, insolentior est. Quid dicam de sententia ipsa, quae plane absurda est, sive verba ironice, sive non ironice interpretaberis? Ceterum Clinia, si hoc diceret, ipse secum pugnaret, quoniam magna cum admiratione (cf. v. 702 Quid ais?) Syri consilium audiverat. Quare hunc versum Terenti esse nego.

Haut. 1001 Mirór non iusse me ílico adripi: ád Menedemum hunc pórgam.

Sic Fleckeisenus, quem Wagnerus secutus est, hunc versum in libris corruptum edidit. Umpfenbachius scripsit: Mirór non ilico ádripi iusse: ád Menedemum hunc pérgam, si non contra legem metricam, at minus probabiliter, quod diaeresis ante gravem

distinctionem est. Quam ob rem Bentleium sequor versum sic restituentem: Mirór non iusse me ábripi hinc: nunc ád Menedemum hunc pérgam. Ex eis, quae supra exposui, intellegitur elisionem ultimae syllabae, quod 'hinc' vox enclitica est, nihil offensionis habere.

Hec. 359 Tu puéris curre, Pármeno, obviam átque eis onera adiúta.

Hac facili transpositione locum sanes:
Tu púeris, Parmeno, óbviam curre átque eis onera adiúta.

2.

Restat, ut de altero synaloephae genere disseramus, cum ultimum prioris dipodiae verbum ultra quartum pedem procedit, ut eius extrema syllaba elidenda post caesuram sit. Quod genus in his asynartetis versibus etiam minus tolerari posse apertum est.

Haut. 689 Nam amíci quoque res ést videnda in túto ut conlocétur.

Transponendum videtur: Nam amícist quoque vidénda res in túto . . . Nam, ne cum Guyeto hunc versum ex v. 694 sq.: 'Videndumst, inquam, Amici quoque res, Clinia, [tui] in tuto collocetur,' sumtum esse putemus, vocabulum 'inquam', quod valet: ich wiederhole es, impedit.

Haut. 736 sq. SY. Perii hércle. Bacchis, máne, mane: quo míttis istanc, quaéso?
Iube máneat. BA. I. SY. Quin ést paratum argéntum. BA. Quin ego máneo.
SY. Atquí iam dabitur. BA. Út lubet. num ego ínsto? . . .

Dele medium versum 737, nihil desiderabis, immo omnia melius cohaerent. Quis enim est, qui non videat verba Syri: 'Atqui iam dabitur' intellegi non posse, si Bacchis modo dixit se mansuram esse ('Quin ego maneo'), praesertim cum servus iam antea meretrici argentum paratum esse dixerit. Interpolationis origo haec esse videtur, quod Bacchis non diserte aut plane se manere velle dicit. At hoc ipsum perpicue in eius verbis: 'Ut lubet. num ego insto?' inest. Signum interpolationis praeter synaloepham est proceleusmaticus 'ego maneo' in septimo pede, qui rationi metricae repugnat. (Hermann. elem. doctr. metr. p. 157.)

Eun. 262 sq. sectari iússi,
Si pótis est, tamquam phílosophorum habent dísciplinae ex ípsis
Vocábula, parasíti ita ut Gnathónici vocéntur.

A praebet: 'disciplinam' et codd. Calliop. recensionis 'itidem ut'. Sententia, quae in his verbis inest, non solum nimis frigida atque inepta est, sed etiam divinari vix potest. Quis est enim sensus in his verbis, si locum germanice reddideris: ich befahl ihm, sich mir anzuschliessen, wenn es möglich ist, gleichwie (tamquam) die Schulen der Philosophen von ihnen selbst den Namen führen (habent vocabula), so dass die Parasiten Gnathoniker genannt werden? Quid dicam de structura verborum, quae ab omni Latinitate tam abhorret, ut expediri non possit? Quid plura? eiusmodi versus Terentio indignos atque eiciendos esse existimo.

Andr. 299 sq. PA. Sed quór tu abis ab illa? MY. Óbstetricem arcésso. PA. Propera atque aúdin?
Verbum únum cave de núptiis, ne ad mórbum hoc etiam. MY. Téneo.

Haec quaestio: 'sed quor tu abis ab illa?' quae Pamphilo tribuitur, inutilis, ne dicam, ridicula est. Neque enim difficile erat adulescenti, quoniam ex Myside audiverat Glycerium parturire (v. 268 laborat e dolore), divinare aut coniectare, ancillam missam esse, ut obstetricem adduceret. Atque illud etiam minus est intellegendum, quare Pamphilus Mysidem de nuptiis loqui vetet. Nam primum Glycerium ipsa nuptias in illum diem esse constitutas non ignoravit (v. 268 sq. 'ex hoc misera sollicitast, diem Quia olim in hunc constitutae nuptiae'). Deinde Pamphilus ipse Mysidi fidem modo dedit se numquam Chremetis filiam ducturum esse. Non igitur est intellegendum, cur adulescens de nuptiis dicere ancillam vetuerit, immo certum est eum cupivisse Mysidem, cum redisset, ut Glycerio solatium afferret, ei narrare ea, quae Pamphilus denuo grandibus verbis promiserat, se numquam eam deserturum esse. Ceterum indicium interpolationis est, quod coniunctivus verbi, qui ex coniunctione 'ne' pendet, audiendus est, id quod a consuetudine poëtae prorsus alienum esse notum est. Saepius interpolatores extremae scaenae versus adiecisse iam supra dixi.

Phorm. 821 Quam scítumst, eiusmodí p a r a r e i n ánimo cupiditátes.

Sic auctore Bentleio Fleckeisenus et Dziatzko cum Donato in lemmate et libris Calliopianis. In codice Bembino est: 'in animo pare', quod corrector recens in 'parere' correxit. Iure Umpfenbachius restituit:

Quam scítumst, eiusmodi ín animo paráre cupiditátes.

Phorm. 782 sq. Nisi próspicis. nunc húnc d o m u m i b o ac Phánium edocébo,
Ne quíd vereatur Phórm i o n e m a u t eíus orationem.

Ac primum supervacaneum est Getam in domum Demiphonis intraturum dicere se domum ire. Nam paulo ante a Demiphone in domum missus est (cf. 777 tu, Geta, abi: nuntia hanc venturam). Nec minus supervacaneum est servum dicere se Phanium edocturum esse, cum Demipho ei modo mandaverit, ut id exsequeretur. Confer, quae de personarum exitu e scaena fusius in Fleckeiseni annalibus 1884 p. 308 sq. disputavimus.

Quodsi ex his quae exposui elucet priorem versum 782 Terentianum non esse, posterior quoque, qui artissime cum priore cohaeret, inducatur necesse est. Iam Guyetus eum interpolatum esse vidit et Bentleius haec notavit: 'Hic versus iam a saeculo crucem interpretibus fixit. Quid enim Phanium vereretur P h o r m i o n e m, qui ei et marito amicissimus erat et nuptiarum inventor, inceptor, perfector? Quid e i u s o r a t i o n e m qui postea ad eam non aditurus erat, sed domi cum Phaedria potaturus? Sola Nausistrata erat, quae nuntium de repudio ad Phanium portatura erat; idque Geta praesente constitutum est'. Quodsi vir doctissimus audacter 'N a u s t r a t a m' pro 'P h o r m i o n e m' et 'neque' pro 'aut' posuit, posteriores editores et interpretes recte fecerunt, quod eum non sunt secuti. Nam non erat, quod Phanium Nausistratam vereretur, cui mandatum erat, ut nuntium de repudio ei ita afferret, ut non 'susceneret' (v. 720). Confer, quae Demipho in sequente versu ad Nausistratam dicit (784): 'fac illa, ut placetur nobis, Ut sua voluntate id quod est faciundum faciat'. Ergo hi duo versus non sunt tolerandi, quod a Terentio profecti esse non possunt. Ceterum notandum est etiam hoc loco extremae scaenae ab interpolatoribus versus adiunctos esse.

Ex his, quae a me disputata sunt, apparebit atque exstabit verum esse id, quod iam initio dixi, codicibus auctoritatem in rebus metricis nullam esse tribuendam. Equidem libere ingenueque profiteor r a t i o n e m m e t r i c a m e t l e g e m m i h i p l u r i s e s s e q u a m m e m o r i a m e t i a m o p t i m o r u m l i b r o r u m m a n u s c r i p t o r u m. Quare sic existimo et sic mihi persuadeo, si aliquid in Terentianis fabulis emendandis et ad antiquam sanitatem revocandis posthac proficere volumus, non a libris manu scriptis, sed a metricis legibus diligenter observandis adiumenta nobis esse petenda.